

1
2
17
16
17
1
17
1
17
2
17
1
17
1



21/18
SPECIMEN JURIDICUM.
ADCAP. II. TIT. VI. LIB. III. JURIS CVLMENS.
EX VLT. REVIS.

1777,1
DE CAVSIS
POST
MANVM MORTVAM.
(Von Sachen nach Todter Hand.)

QVOD
PRÆSIDE
DANIEL GRALATH

JVR. VTR. D. EJ. ET HISTOR. PROF. PVBL. ORD.
ET ATHEN. INSPECTORE

CAROLVS LVDOVICVS SCHVLTZ,
GEDANENSIS

ALVMNVS FISCHERO FERBERIANVS,

DIE XVIII. APRILIS A. R. S. MDCCLXXI.
IN AVDITORIO MAXIMO

PVBLICE DEFENDET
ADVERSVS OPPONENTES

CAR. GOTTFRIED PATZER, JVR. STVD.
CHRIST. FRIDERICVM WERNSDORFF, THEOL. STVD.
MART. FRIDERICVM BRAND, JVR. STVD.

GEDANI,

TYPIS THOM. JOHANNIS SCHREIBERI, MAGNIF. SENATVS
ET ATHENÆI TYPOGRAPHI,

INCLYTÆ
REIPUBLICÆ GEDANENSIS
MAGNIFICO SENATVI

ILLVSTRI
PERMAGNIFICIS MAGNIFICIS GENEROSISSIMIS
MAXIMEQVE STRENVIS

S. R. M. BVRGGRABIO
PRÆSIDI
PRO-PRÆSIDI
PRÆ - CONSVLIBVS
CONSVLIBVS
SYNDICO.

PRÆNOBILISSIMIS
AMPLISSIMIS, CONSVLISSIMIS
DICASTRIORVM
VTRIVSQUE CIVITATIS
MEMBRIS
SENIORIBVS
PRO - SENIORIBVS

ET
ASSESSORIBVS RELIQVIS
IUSTITIÆ ARBITRIS GRAVISSIMIS

VIRIS

56,



VIRIS
SVMME REVERENDO
CONSULTISSIMO, EXPERIENTISSIMO,
EXCELLENTISSIMIS, DOCTISSIMIS, AMPLISSIMIS,
PROFESSORVM COLLEGII
MEMBRIS
PRÆCEPTORIBVS SVIS OPTIMIS

ET
AD CINEREM VSQVE COLENDIS,
PRÆNOBILISSIMIS SPECTATISSIMISQVE

AD SACELLVM D. MARIE
A N T I S T I B V S

SPLENDORE AC DIGNITATE CONSPICVIS
TANDEM OMNIBVS AC SINGVLIS

PATRONIS ATQVE FAVORIBVS

HANCCE DISSERTATIONEM IN DEMISSÆ
MENTIS TESSERAM VLTERIO-
REMQUE SVI COMMENDATIO-
NEM PIE AC SVBMISSE TRADIT
OFFERTQVE

RESPONDENS
CAR. LVD. SCHVLTZ,
Jvr. C.



SPECIMEN JURIDICUM.
DE
CAUSIS POST MANUM
MORTUAM.

Von Sachen nach todter Hand.

Ad Cap. II. Tit. VI. Lib. III. Juris Culmens.
ex ult. Revis.

§. I.



Vocabulum *Manus mortuae* Juri Romano plane inco-
gnitum, eo frequentius in Legibus Germaniae
& patriis occurrit. Est autem vocabulum ma-
xime πολύσημον & inter plures, quos admittit
significatus, haud vulgaris est ille, quem huic
voci in Jure Culmensi, citatoque in rubro hujus Spec. Loco
tribuere tenemur. Quo luculentius itaque *de Causis post ma-
num mortuam* ad Leg. cit. commentaturi, materiam nostram
exponere queamus, diversas in antecessum, termini istius
significationes, ex ipsis legum germanicarum fontibus propo-
nere, instituti nostri ratio requirit.

*Manus mor-
tua plures
habet signifi-
catus.*

§. II.

Communis fere & maxime usitata est haec denomina-
tio, in Casu mortis hujusmodi hominum, in quorum bonis
A

*Manus mor-
tua significa-
relictis*

56,



zus vulgaris relictis sive substantia, Dominus sibi jus vindicat. In eo
& Synonima. enim leges germanicæ conspirant, quod manus mortua sup-
 ponat Servum glebalem, seu hominem proprium, qui vel
 privati alicujus, vel fisci vel ecclesiæ dominio ita se adscripsit,
 ut aliquid juris in ejus decedentis bona vel prædia ad Domi-
 num transeat (a) Eo nomine Manus mortua quoque plura
 accipit Synonima, quæ pro diversitate Consuetudinum muni-
 cipalium in usum sunt recepta, & quorum notissima sunt,
Mortuarium, Jus capitale, Ultimus census, ac in vernacula
 nostra, *Leib-Pfennig, Haupt-Recht, Trauer-Recht, Gewand und*
Gelaß, E. dten-Zoll, Weidmal, Bud-Eheil, & reliqua (b)
 quorum omnium denominationem, partim ex canonum in-
 terpretibus, partim ex sermonis germanici rivulis facile de-
 duxeris.

§. III.

Tres Manus
mortuæ si-
gnificatus
specialiores.

Novæ tamen ac specialiores hujus determinationis dif-
 ferentiæ se exserunt, si consultis insuper Præcticis, in Jure
 Germanico deprehendes, modo ipsos homines proprios, mo-
 do bona vel prædia ab iisdem defunctis relictæ, modo deni-
 que Jus Domino in defuncti hominis proprii bona compe-
 tens, Manus mortuæ sive Mortuarii nomine insigniri. (c)
 Proinde triplicem hujus vocis significatum in Legibus Ger-
 manicæ communibus stabilitum esse contendimus.

§. IV.

1) *Homi-*
num.

Homines manus mortuæ, dicuntur servi glebæ, qui-
 bus de bonis suis testamento cavere interdictum est, & quo-
 rum sine prole decedentium bona, pleno Jure ad Dominum
 tran-

- (a) Besoldus in thesauro præctico voc. Haupt Recht & Ferd. Chr. Harprecht de Jure mortuario in bonis defuncti hominis proprii, Domino ejus competente.
 (b) Harprecht L. C. §. III. Cap. I & J. H. C. de Selchow Element. Juris Germ. §. 384.
 (c) Car. du Fresne Gloss. ad scriptor. med. & inf. latininitatis. v. manus mortua p. 427 & Harprecht l. c. Cap. II. §. I-III.



franseunt, si vero cum liberis legitimis decedant, determinatam hereditatis portionem in eundem transferunt. Eiusmodi hominum propriorum subjectionem, in plurimis Germania terris usitatam esse, Ordinationes territoriales, referente Harprechto in diss. alleg. sufficienter commonstrant, maxime tamen ejus mentionem fieri in legibus Franconicis & Burgundicis, observavit Besöldus: (d) unde hodiernum apud Gallos, (Gens de main morte) appellari solent. Neque ita incognita est hæc servorum conditio, quam pari fere modo, Jure veteri Romano, Latinis Libertis perpetuo inhæsisse constat. Eminebat enim inter præcipuos Juris Patronatus effectus, quod Patronus, liberto qui improles obierat, ab intestato succederet; si vero libertus in testamento tertiam partem bonorum non reliquisset, Patrono bonorum possessio contra tabulas dabatur. (e) Interim celeberrimus Selchovius annotavit (f) obligationem istam, hodie non tam pro servitutis nota, quam potius, pro onere reali habendam esse, quum & in homines liberos, quin nobiles interdum cadere soleat. Neque asserere audemus, Germanos hanc servorum conditionem ex Romanorum ritibus mutuasse; sed eandem ipsi diutius in usu fuisse evictum est.

§. V.

Frequentius hæc manus mortuæ denominatione ^{2) Bonorum.} commpelluntur bona tam immobilia quam mobilia, ab ejusmodi hominibus propriis post mortem relicta. Ridiculam fere vocabuli originem vulgo arcessunt a fabula, quasi Dominus, olim, si nihil in rebus servi fuerit, quod sibi vindicare posset, manum vel dextram vel utramque a reliquo cadavere absciderit, sibi que servaverit. Primus referente Heineccio (g) hæc

A 2

fabu-

(d) Besöld. in thes. præct. I. prox. alleg.

(e) pr. & §. 3. Inst. de Success. Libert.

(f) De Selchow diss. de Juribus ex statu ingen. pend. p. 32. sequ.

(g) Heineccii Element. Jur. Germ. Tom. I. §. XLV. in nota.

56

fabulam narravit Auctor Chronici Magni Belgici ad A. MDCXXII. ex quo eandem Lehmannus in Chronicon Spirense (h) translulisse putatur. Aequior autem videtur Sententia cui cum Potgiesero (i) assentit Heineccius, quod manus mortuæ dicta sint istorum hominum bona, quoniam ipsis in puncto mortis constitutis, adempta testandi facultate, nihil de rebus suis disponere licuerit.

§. VI.


3) *Juris.*

Tandem manus mortuæ nomine venit ipsum Jus, quo Dominus sibi vindicat bona a Servo defuncto relicta; id quod in toto suo ambitu & pro diverso exercendi modo consideratum, circa qualitatem æque ac quantitatem rerum capiendarum, legibus ac moribus varie determinatur, unde commode plenius ita describi potest; quod sit Jus Domino competens, vi cujus ille in casu morientis hominis proprii, pro consuetudine loci, vel certam bonorum partem, vel rem aliquam singularem, aut loco illius, certam pecuniæ quantitatem, ratione ad defuncti patrimonium habita, accipit, vel si ille nullos liberos, aliosve legitimos, consuetudine vel statuto determinatos heredes relinquat, eidem ab intestato succedit. De exercitio hujus juris ubique in Germania laudato, de effectibus ejus ac limitibus, large differuit Harprecht in tract. sup. memorato. Tantum vero hic de vulgari manus mortuæ significatione pramonuisse sufficiat. Accedimus ad sensum, quem Vox ista in Jure Culmensi sibi vindicat.

§ VII.

(h) Lehm. Chr. Spir. Lib. IV. Cap. XXII. ubi verba ita se habent; „Nostratibus olim Todte Hand ex eo audit: daß wenn ein leibet gener Mann gestorben, und kein Haab noch Nahrung verlassent, davon der Bischof um daß Hauptrecht hatte können bezahlet werden, man dem Verstorbene die rechte Hand abgehauen, und dem Herren geliefert.“

(i) Jo. Potgieser de statu & Condit. Servorum in Germ. Lib. II. Cap. II. §. 14.



§. VII.

Quisque sane ad primos Juris Culmensis natales respecturus, confestim argumentaretur, Jus istud ex Germaniæ legibus conflatum, usitatas quoque per Germaniam verborum determinationes servaturum, adeoque manus mortuæ vocem, in pari aut simili ad minimum sensu accepturum esse. Verum alia omnis est hæc in Jure nostro provinciali significatio, ubi nec mortis fervorem glebalium, nec Juris cujusdam Domino competentis ratio habetur; sed Manus mortua denotat: quemcunque casum mortis, quo bona defuncti ipso Jure in proximum cognatum devolvuntur. Nescio, an ullo alio Jure, manus mortua sub hoc significato veniat, præterquam quod Besoldus loc. supra cit. brevissimis annotaverit, Manum mortuam interdum *hereditatem* simpliciter appellari. Id autem extra omne dubium est, Jura Saxonica, imprimis Magdeburgica, hanc significationem sibi propriam reddidisse, & eo sensu vox ista partim in quæstionibus & Sententiis Magdeburgens. (k) teste Celeb. Hanovio, partim in Speculo Saxónico ac Weichbildo Magdeburgico, quæ ipsi inspeximus, summi consuevit. Ex proximis itaque hisce Juris Culmensis fontibus, idem vocabulum sine dubio in Jus nostrum promanavit, & aperte id probant ipsa verba, quæ manum mortuam Lib. III. Tit. VI. Cap. II. Jur. Culm. ex ult. revis. in fin. ita describunt:


Significatus Manus mort. in Jur. Culm.

„Es heisset aber Todte-Hand, wenn einem sein Vater, Mutter, Bruder, Schwester, oder sein nächster Freund verstorben ist, dessen Erbe er nehmen mag. Wenn er denn darum beschuldiget wird, so muß er unschuldig werden wie Recht ist.

Cum quibus accurate conspirat Cap. 67. Lib. III. Jur. Culm. Veteris, quod sequentis est tenoris:

„Tode hant bewyset das, das eime syn Väter adir syn „Brud’; adir syn mog, wer der sy, istorben ist, des Erbe
A 3 „her

(k) annot. 39. ad Cap. II. Tit. VI. Lib. III. Jur. Culm.



„her nemen mag, onde when denne her beschuldiget,
„der mus des unschuldig werden selb sibende; Das
„spreche wir Scheppen vor ein Recht.

Rejecto itaque illo, qui ex censuali hominum propriorum
conditione deducitur, Manus mortuæ significatu, nostræ hic
tractationi superstruimus explicationem Juris Culm. de manu
mortua, & exinde porro naturam ac indolem, illarum cau-
saram, quæ in foris nostris *post manum mortuam tales* appella-
ri solent, definire conabimur.

§. VIII.

*Derivatio
istius signi-
ficatus.*

Licet subtilis forte nec valde utilis foret, accuratior
in derivationem istius significationis indagatio, minime ta-
men eandem absconam, aut a more loquendi Jureconsultis con-
sueto, alienam esse putamus. Sicut enim in legibus Roma-
nis, Caput, personarum statum, & manus, potestatem sive
possessionem, symbolice quam sapissime denotant, prout
verba Mancipium, Manumissio & alia sufficienter probant;
ita & Germanis symbolica vocabuli Hand significatio, fre-
quens & ab antiquissimis inde temporibus fere domestica fuit,
uti colligendum est ex vocibus Handseße, (sc. assecuratione
possessionis vel potestatis & jurium inde fluentium) Hand-
schlag, treue Hand, Hand muß Hand wahren, & rel. in quibus
ad unam omnibus, Manus, possessionem & jura cum eadem
conjuncta designat. Confirmat hanc thesin quoque versio lati-
na legis nostræ Culmensis, ubi manus mortua, per mortem
Auctoris explicatur; verbis ita se habentibus: „Auctoris mor-
„tem tum intelligimus, cum alicujus pater, mater, frater, so-
„ror vel alius consanguineus proximus in fata concessit, cu-
„jus hereditatem ille capit,„ Jur. Culm. Lib. IV. C. xxxix. Au-
ctor vero in jure dicitur ille, a quo rem tenemus vel accepimus.
Proinde quoad originem vocis, Manus mortua deducenda
est a proxima Possessoris morte; & vi hujus derivationis haud
incongrue id, quod Romani hereditatem jacentem vocabant,
nos appellaremus illa bona, quæ manus mortua reliquit;
Sub-

subiuncta tamen hac differentia, quod Manus mortuæ adhuc laxior censendus sit significatus, cum illa quoque post aditam hereditatem intelligatur, hereditas jacens vero saltem denotaverit bona a defuncto proxime derelicta, super quorum dominio nondum dispositum est.

§. IX.

In conceptu causarum post manum mortuam stabiliendo, sequimur locum Juris Culm. supra allegatum, ex cuius verbis, essentialia earundem facile colligenda esse arbitramur. Proinde *Causas post manum mortuam* ita describimus, quod sint: *Negotia litigiosa super obligationibus a defuncto relictis, post mortem ipsius ab eo adimplendis, in quem hereditas transit.* Non est quod immoremur principiis juris communis, quibus hæc definitio nititur, vi quorum nimirum, non omnes defuncti obligationes cum vita ipsius exspirant, sed nonnulla ex ejus persona, quoque post obitum præstanda sunt. Hac enim doctrina superstructa, pro nostra descriptione defendenda, quod instituti ratio poscit, adducemus, eandem ad naturam ac indolem causarum post M. M. satis determinandam sufficere. Primo quidem quod ad genus attinet, per causas hic intelligi volumus *Negotia litigiosa*. Verbum *causæ*, quod neminem fugit, in jure plures habet significatus: denotat enim negotium obligatorium, (1) rem, rei qualitatem, effectum, emolumenta, casum quoque fortuitum & titulum, quam sapissime autem, si de negotiis intelligendum est, litem & actum litigiosum. (m) Pro stremo sensu causam quoque hic esse accipiendam, evidenter probant non solum verba Jur. Culm. Wenn er darum beschuldigt wird, muß er unschuldig werden; sed idem & praxis forensis confirmat, quum causarum post manum mortuam nomen, haud in foris audire soleamus, nisi ob denegatam obligationis præstationem, res in iudicium protracta fuerit.

*Causæ p. m.
m. quid sint.*

§. X.

(1) l. 11. ff. de Verb. Sign.

(m) l. 27. ff. de pignor.

*Uterior de-
finit. expli-
catio.*

Ista negotia litigiosa sec. def. porro proveniunt ex obligationibus a defuncto relictis & post mortem ipsius adimplendis. Quod manus mortua supponat obitum personæ, quæ in possessione rerum & Jurium ac Obligationum inde fluentium fuit, ex superioribus abunde constat (§.7.) Mors quoque non nisi obligationes mere personalissimas i. e. (n) quæ defuncti personæ qua tali competierunt, solvit: ita quidem ut plures maneant superstites, quæ post obitum omnino exitum habere possunt atque debent, & quarum præstationem, æquitatis naturalis regulæ, perinde ac leges positivæ injungunt: (o) harum itaque persecutionem, causâ post manum mortuam involvunt. Notanter vero ab hac denominatione excludimus causas ex Jure defuncti oriundas; nec causam post m. m. appellare audemus tale negotium litigiosum, quod ex jure defuncti, pro persecutione ejusdem ab herede instituitur. Obstant enim 1) ipsa verba Juris Cullenensis, quæ nullam mentionem reciproæ hujusmodi determinationis injiciunt, 2) natura harum causarum per praxin confirmata, quæ semper indigitat, aliquid præstandum esse ex persona defuncti, non vero posteundem. 3) quoque obfistit doctrina de Jurisdictione in causis post manum mortuam constituta, utpote quæ sibi saltem vindicat negotia ex obligationibus defunctorum promanantia, non vero ea, quibus heres ex jure Auctoris sui agit, & ubi eundem, ex communi regula forum Rei sequi oportet. (p) Inde itaque colligitur, illa saltem negotia ex juribus defuncti profecta, in censum causarum post manum mortuam venire, quæ pro conservatione istorum jurium instituuntur, & quibus nos adversus alterius infestationes defendere conamur, cum ita connexitas causæ

- (n) l. 37. ff. de acq. vel omitt. hered. & l. 14. C. de jure deliber.
 (o) l. 87. ff. de R. J. & l. 24. ff. de V. S. l. 10. ff. de jure deliber.
 (p) L. 2. C. de provid. omn. Jud. & l. ult. C. ubi in rem factio.



causæ requirat, ut jure defuncti utamur pro defensione adversus obligationem ex persona ejus præsentam. Tandem definitioni subjuximus: Obligationes defuncti ab eo adimplendas esse, in quem hereditas transit. Evicti Juris est, heredem esse successorem in omne Jus quod defunctus habuit: (q) Per consequens heres commoda & incommoda hereditatis ferre tenetur; repræsentat personam defuncti, & ejus jura æque ac obligationes in eum devoluta censentur. (r) Quum itaque morientis obligationes non omnes simul expirent, sed plures exitum habere debeant, (per præc.) nihil sane magis naturale est, quam quod heres istas defuncti obligationes præstare obstrictus sit, quæ vel ipso jure in defunctum ceciderunt, vel ab eodem factis obligatoriis post mortem transituris, contractæ fuerunt. Porro nec contradictionem involvit, præter heredem proprie sic dictum, alias quoque personas quoad sustinenda hereditatis onera, personam heredis induere posse, adeoque sive lege, sive facto devinctas fieri, ad præstanda ea, quæ ex defuncti obligationibus debentur, salva quoque conditione, quod ultra vires hereditatis obstringi ac teneri nequeant. Sic ulterius patet, alias nonnunquam præter heredem dari personas, in quas hereditas transit cum effectu obligationum defuncti adimplendarum.

§. XI.

Cognita atque perspecta, causarum post. M. M. natura, brevibus dispiciendum erit, ad quamnam causarum classem generaliore eadem pro indaganda differentia specifica referre conducat. *Hereditas* pro specie rerum sumta est universalitas sive complexus omnium rerum a defuncto relictarum. *Negotia litigiosa*, quæ intuitu hereditatis instituuntur. *Causarum hereditariarum* nomine compelluntur. Jam vero ex anteceden-

Cause p. m. sunt species causarum hereditariarum.

B

den-

(q) l. 24. ff. de V. S.

(r) l. 62. ff. de R. J. & l. 19. pr. ff. de hered. petit.



dentibus constat, causas post manum mortuam, supponere hereditatem, & respectu ejus saltem concipi posse; (§ 10) inde sequitur, causas post m. m. merito ad classem causarum hereditariarum jure nostro remitti. Variæ tamen indolis sunt ipsa negotia, quibus in foro super hereditate disceptatur. Partim differentia se exerit circa personas inter se litigantes, partim vero & potissimum differunt hæ causæ pro litis fundamento. Quod ad personas attinet, vel inter se controversiam agitant heredes, ex ipsa eorum qualitate, sive tales personæ, qui heredum conditionem modo in totum, modo pro parte sustinent: vel heredes litem habent cum legatariis aut donatariis, de legatis atque donis, iisdem ex voluntate defuncti exhibendis: vel exorta sunt controversiæ inter heredem & extraneos de præstationibus intuitu hereditatis debitæ: quinimo ipsos legatorios aliosve extraneos nonnunquam de rebus ex hereditate obtinendis aut acceptis, inter se disceptandi occasionem nancisci, haud difficile colligendum erit. Omnes vero hæ causarum hereditariarum species, a causis post manum mortuam distincte satis discernentur, si pro fundamento litis tenueris, causam post m. m. Jure Culm. non intelligi, nisi lis transeat ex obligatione, qua defunctus, dum viveret, fuerat obstrictus.

§. XII.

*Differunt a
causis hereditariis
inter se.*

Exinde primo jam inferimus, quod controversiæ super adeunda, transferenda, dividenda hereditate, inter heredes subortæ, causis post manum mortuam annumerari non possint: quin omnes qui in fundamento Juris hereditarii perficiuntur actus, sive judiciales sive extrajudiciales sint, etsi vel maxime litigiosi fuerint redditi, naturam istarum causarum, nullo modo recipiant. Interim dubitandum foret, numne ipsum Jus hereditarium, obligationem defuncti pro correlato habeat, ita quidem ut ex debito, quo defunctus heredi obstrictus fuit, heres adversus alterum, in casu denegati juris hereditarii exercitii experiri queat; unde prono alveo
flue-



fluere, litem istam ex obligatione defuncti originem traxisse. Ast; ad hæc, sequentia regerimus: Jus hereditarium est Jus in hereditate ceu re constitutum, ad eandem sibi acquirendam; adeoque jus hereditarium præsupponit hereditatem; jam vero hereditas viventis non datur, (s) nec jus hereditarium, nisi post mortem auctoris existere incipit; hinc facile colligitur, obligationem Juri hereditario correlatam, ad personam Auctoris viventis minime retrahendam esse. Porro inde perspicitur, quod Jus hereditarium, sive lege, sive voluntate vel pacto defuncti Auctoris constitutum fuerit, ab herede exerceatur tanquam Jus in re, adversus omnes, qui acquisitionem hereditatis ex qualicunque ratione impedire vel turbare intendunt, citra respectum obligationis alicujus personalis a defuncto translata. Quibus evictis itaque concludimus, quod omnes causæ hereditariæ, quæ inter heredes ex jure ipsis constituto moventur, sive sint heredes ab intestato, sive ex testamento vel pacto succedentes, a causis post manum mortuam specialiter differant. Idem asserendum est de causis eorum, qui in testamento præteriti vel injuste exheredati illud tanquam inofficiosum rescindere conantur. Licet enim objiceretur, querelam inofficiosi testamenti, ex neglecta testatoris obligatione, quam lex præscripsit, originem ducere: salva tamen res est, quod huic testatoris obligationi non correlatum sit jus hereditarium, quo exheredatus nititur, nec ille agat respectu defuncti ceu debitoris sui, sed prosequatur actionem suam, ex jure sibi in hereditatem competente, quod quidem testator ante mortem suam ex injusta causa elidere intentus fuit. Minime tamen per præcedentia excludimus omnem casum, quin heres heredem ex persona defuncti in judicium protrahere queat. Si quidem enim defunctus alterutri heredum suorum, dum viveret, obligatione quadam nondum expleta & post obitum transitura devinctus fuerit, nullum dubium est, eundem instar credito-

B 2

rum,

(s) l. 10. & 19. pr. ff. de hered. petit.

rum, id quod sibi debetur, a reliquis heredibus, actione post manum mortuam instituta, pro rata reposcere posse.

§. XIII.

A causis heredum cum legatariis.

Ex principiis proxime suppeditis (§. 12.) quoque consequitur, quod neque lites heredum cum legatariis atque donatariis, neque controversiæ legatariorum & fideicommissariorum inter se, criteria causarum post m. m. habeant. Est enim legatum delibatio sive particula hereditatis, ex voluntate defuncti præstanda; (t) & communis est hæc fideicommissorum atque ac donationum mortis causa, cum legatis natura, quod eorundem validitas a tempore mortis demum incipiat, nec ante ipsam hereditatem, pars ejusdem existere queat. Jam vero viventis hereditas non datur, (§. 12.) seu quod hic idem est; testator cum adhuc viveret, ad exsolvenda legata atque fideicommissa, legatariis in testamento scriptis minime obstrictus fuit, præterea etiam jus, quod donatariis, in casum, mortis, per promissionem acceptatam, constitutum est, usque ad extremum vitæ halitum, revocabile manet: hinc pro no alveo fluit, quod legatariorum, fideicommissariorum, ac donatariorum jura per ultimam voluntatem constituta, quibusve adversus heredes, ad consequendas res ex hereditate debitas, utuntur, minime ex obligatione quadam a defuncto testatore in eosdem translata derivari queant. Hisce consensariis apprime assentiunt leges civiles, quæ obligationes heredum, ad legata & fideicommissa solvenda, ex quasi contractu deducunt. (u) Ita enim intelligitur, quod jura legatariis per testamentum concessa, respondententes obligationes reperiant in iis, quibus a defuncto, executio ultimæ voluntatis suæ injuncta fuit, & quod hi, quatenus se hereditati inimiscent, præsumtive cum legatariis vel donatariis paciscantur, de solvendo eo, quod pro liberalitate defuncti, iisdem ex heredi-

(t) l. 116. pr. ff. de legatis I. & §. 7. J. de legatis.

(u) §. 5. J. de obligat quæ ex quasi contr. & l. 5. §. 2. ff. de O. & A.



reditate exhibendum est. Quæ vero hoc loco de donatariis mortis causa demonstravimus, minime ad donationes inter vivos extendenda esse, probe notandum erit. Nam extra omne dubium est, quod pacta donationis inter vivos, si post mortem donantis, super re forte nondum exhibita, litigiosa fiant, naturam causarum post m. m. omnino receptura sint. Quoniam enim res inter vivos donata, si vel maxime super possessione ejus usque ad mortem conventum fuerit, jam a vivo donante, donatario deberi cœpit, nec jus ex pacto donationis translatum, pro lubitu revocari potuit; evicti juris est, quod is, qui super re ita donata, post obitum donantis litigare coactus est, ex obligatione a defuncto relicta, agere censetur.

§. XIV.


Tandem neque illæ causæ, quæ inter heredes & extraneos quoscunque, citra respectum defuncti ventilantur, nobis causarum post m. m. nomine veniunt. Intelligimus autem per hujusmodi causas, omnia illa negotia, quibus ii, qui nec coheredes nec legatarii vel donatarii sunt, aliquid ab heredibus, in fundamento Juris hereditarii, præstandum esse contendunt. Non est quod ulteriori demonstrationi, pro excludendis hisce negotiis, a causarum post m. m. classe immoremur; cum jam ex superioribus satis evidens sit, eadem huc non pertinere, quatenus fundamento litis destituuntur, quod ex obligatione defuncti, dum in vivis fuit, derivandum est. (§. 14.) Exempli loco saltem sit actio funeraria, ab extraneo quodam adversus heredem vel eum, cui onus funerandi incumbit, ad repetendos sumtus, pro honesta cadaveris sepultura factos instituta, (v) quæ si quid video, causa post manum mortuam appellari nequit. Licet enim ob stare videatur, quod sumtus pro sepultura impensis in honorem defuncti vergant, consequenter ad personam ejus referendi sint, cujus intuitu quoque actio pro repetendis impensis concedenda

A causis heredum cum extraneis.

B 3

da

(v) l. 14. §. 12. ff. de relig. & sunt funerum.



da esset: illico tamen istæ objectiones corruunt, si rite per-
penderis, obligationem de restituendis sumtibus, ad vivam
defuncti personam, retrotrahi minime posse. Quin imo si
vel ipse curam funeris sui, amico cuidam mandaverit, iste
tamen vivum amicum sepelire non potuit, adeoque obligatio
demum post mortem sepulti existere cœpit, & cadit in eum,
qui commoda & incommoda relictæ hereditatis in se suscipere
tenetur. (§. 12.) Ejusdem sane indolis sunt omnes causæ
hereditariæ, quæ ex obligationibus heredum erga extraneos,
in quantum a defuncto non relictæ fuerunt, proveniunt.

§. XV.

*Causæ post
m. m. sunt 1)
proprie ta-
les.*

Ex causis post manum mortuam, prout supra osten-
dimus (§. 9.) tenentur illi, ad quos hereditas transit; Jam
vero ulterius ex tenore legis Culmenis concludendo, causas
memoratas haud incongrue, in proprias & improprie tales
dispecisci posse arbitramur. Ista distinctio fundamento suo non
destituitur: quemadmodum enim Jure consulti negotia im-
proprie talia, per analogiam vocare amant, quæ aliorum na-
turam imitantur, & licet quoad essentialia non in omnibus
cum iisdem convenient, ex post facto tamen eadem Jura &
Obligationes recipiunt, ita & circa causas post manum mort.
ex pari ratione argumentari licebit. Homo vel decedit inte-
stato, vel cum declaratione ultimæ voluntatis suæ. In prio-
ri casu leges prospexerunt de jure hereditario heredibus, qui
legitimi sive necessarii dicuntur, constituto; in posteriori, sal-
va legum restrictione, vel heredes voluntarii nominantur, vel
quidam amicorum instar designantur, quibus Jus personam
defuncti representandi, vel in totum, vel ex parte collatum
est (§. 12.) & qui certo respectu heredis locum sustinent.
Utrumque heredum genus ex causis post m. m. teneri demon-
strandum erit, ne descriptio superius data vacillare videatur.
Quod quidem ad verba Juris Culmenis attinet, exinde sal-
tem colligitur, quod dictæ causæ non nisi ad heredes necessa-
rios



rios tendant, qui ex Jure hereditario legitimo in obligationes defuncti successerunt. Ita enim verba; Wenn einem sein Vater, Mutter, Bruder, Schwester, oder sonsten sein nächster Freund verstorben ist, dessen Erbe er nehmen mag, apprimè explicanda esse judicamus; & ejusmodi causas post manum mortuam proprie tales appellandas esse asserimus. Quum vero heredes legitimi, vel ab intestato succedant, vel in testamento instituti, permultis nonnunquam legatis onerati sint, ita quidem ut sapius nonnisi legitima iisdem salva maneat; consequitur, quod præter beneficia jure communi heredibus ante aditam hereditatem competentia, iis quoque, si debita ex defuncti obligationibus præstanda, legitimam lædant, regressus adversus legatarios, ad retrahendum vel repetendum id, quod legitimæ deest, concedendus sit. (w)

§. XVI.

Quamquam autem verba legis Culmenfis in sensu proprio accepta, non nisi heredes legitimos post m. m. obstringant, ex ratione tamen ejusdem legis, memoratas causas, quoque ad alias personas, quæ partes heredum legitimorum sustinent, analogice applicandas esse, defendere non hæsitamus. In eo enim ratio dictæ legis consistit, quod illi ex debitis defuncti teneantur, ad quos vel omne hereditatis commodum redundat, vel in quorum amicitia ac industria, defunctus de præstandis hereditatis oneribus, fiduciam reposuit, vel tandem, quibus a lege aut Judice, hereditatis cura commissa est. Ad prioris generis heredes referimus illos, qui per pactum successorium, aut vigore ultimæ voluntatis defuncti, heredes voluntarii directe instituti sunt. Hi enim cum instar legitimorum succedant in omne Jus, quod defunctus habuit, nihil obstat, quominus etiam ad pacta ante mortem a defuncto inita, & ad reliqua hereditatis incommoda præ-

2) *improprie
tales.*

(w) l. 35. §. 2. C. de inoff. testam. Brunnemann. ad l. 30. C. de inoff. test.

ferenda teneantur; & quamvis in terris nostris ejusmodi heredum conditio fere incognita sit, salva tamen res est, quod si talis casus obveniret, idem ex hoc principio dijudicandus foret. Ad alteram classem ex sententia nostra pertinent heredes fiduciarii universales, & qui peræque cum iisdem conveniunt, Executores testamentorum conventionales atque testamentarii. Horum utriusque munus ex eorum numero est quæ non facile quisquam alteri, nisi amico committit, & quæ, uti Paulus de mandato prædicat, (x) omnem suam originem ex officio atque amicitia trahunt. Licet quoque vel lex pro eorum administratione aliquam lucri speciem assignaverit, (y) vel testator honorarii nomine quiddam concesserit, munera ista tamen natura sua semper manent gratuita. Deficit hic omne successione emolumentum, hereditas non transit in totum, sed jura & obligationes defuncti ex parte saltem, in hujusmodi hereditatis Curatores devolvuntur. Omne itaque Juris vinculum quod in eosdem ex persona defuncti defertur, unice ex curæ & administrationis qualitate exponendum esse intelligitur. Inde ulterius inferimus, quod heredes, quorum fiducia, hereditatis cura commissa est, & Executores testamentorum voluntarii, actionibus post m. m. non nisi eatenus pulsari queant, quatenus circa administrationem rerum hereditarium defuncti personam accurate representare & in explendis obligationibus ab eodem relictis omnem fidem atque solertiam adhibere tenentur. Incivile autem imo injustum foret, plus quam in hereditate esset, ab iisdem efflagitare. Quum etiam post redditas rationes, & præstita apocha judiciali, de negotiis commissis legitime ac diligenter exactis, Administrationum munus communiter finiatur, sequitur, quod idem testamentorum executoribus fas esse debeat. (z) Quibus evi-

(x) l. 1. §. 4. ff. mandati vel contra.

(y) §. 5. J. de fidei commiss. heredit.

(z) conf. de hac materia ante omnia Celeb. Antecess. Mart. Gottl. Pauli Dissert. de Executoribus ultimarum voluntatum Ged. habita 1762.

ctis, cum par ratio quadret ad eos, quibus cura hereditatis a lege vel iudice commissa est; colligitur, Executores testamentorum quoque legales atque judiciales, post manum mortuam improprie conveniri posse, in quantum ex parte, personam defuncti testatoris suslinere obstricti sunt.

§. XVII.

Causæ post m. m. oriuntur ex obligationibus a defuncto relictis: (§. 9.) inde consequitur, easdem tanquam genus plures species sub se continere, & ad obligationes tam natura ac lege per se competentes, quam factæ contractas, applicandas esse: quoniam porro actiones inde oriundæ non tam ex factio heredis proprio, quam potius alieno, nimirum defuncti, quod ob unitatem personæ in heredem cadit, nasci intelliguntur; facile colligitur hujusmodi causas esse ejus naturæ, quas DD causas adjectitiæ qualitatis appellare amant. (aa) Hinc ulterius inferre licet, quid circa jurisdictionem in dictis causis, ex principiis juris communis statuendum sit. Cum enim causæ post m. m. tanquam genus, plures sub se species comprehendant, patet, quod negotia juridica specialiora, uti cambialia, ex stipulatu, ex juramento & s. p. quatenus ex obligationibus quas defunctus habuit proficiscuntur, & actiones adversus heredem prosequendas gignunt, causarum post m. m. naturam recipiant, earundemque forum sequantur. Quibus perspectis, asserendum est, omnis generis obligationem & actionem transmigrare in causarum post m. m. classem, si eadem ex persona defuncti, in heredem, vel eum qui heredis vices subiit, transcenderit.

*Causæ p. m.
m. sunt adjectitiæ qualitatis.*

C

§. XVIII.

(aa) Heineccii Elementa Jur. Civ. sec. ord. Inst. ad Lib. IV. Tit. VII.

*De foro cau-
sarum p. m.*
22.

Ex his autem æqua lance perpenſis, nullo labore cognoſcitur, quid circa forum ejuſmodi perſonarum juſtum eſſe debeat, quæ ex cauſis p. m. m. conveniuntur. Nullum dubium eſt, quod cum heredes ex perſona defuncti in juſ vocentur, iidem eatenus, locum & forum æque ac perſonam defuncti ſuſtinere & agnoſcere teneantur, quatenus ſuper hereditate adhuc indiviſa diſceptatur. Id quod adeo certum eſt, ut heredes vel peregrini, vel maxime privilegiati, in foro defuncti reſpondere conſtringantur, ſi a defuncto jam acceptum fuerit iudicium, aut hereditas adhuc indiviſa exiſtat. (bb) Quodſi itaque defunctus fori privilegio gaviſus fuerit, id heredibus quoque, ſub præſata limitatione competere, nulli dubitamus. Hoc autem deſiciente, cauſa deducuntur in forum commune; idque maxime generale eſt forum domicilii, in quo omnes actiones perſonales ac reales poſt m. m. valide inſtituuntur, donec domicilium, vel naturaliter vel civiliter poſt aditam ac cum omni effectu diviſam hereditatem, mutatum eſſe intelligitur. Quum vero nihil obſtet, quo minus intra limites Jurisdictionis domeſticae forum quoque ſpeciale, cauſis p. m. m. conſtitutum eſſe queat, quemadmodum ipſum ejus exemplum praxiſ noſtra Gedanenſis docet: ſequitur, iſtud ex communi Jurium doctrina non ſolum forum generale, verum quoque reliqua ſpecialiora excludere. Tunc itaque jura requirunt, ut cauſa poſt m. m. ceu tales, quæ adjectivæ qualitatis ſunt (§. 17.) ad illud forum provehantur, cui leges eaſdem ſub hoc generali nomine ſubjecerunt, eo quidem effectu, ut heredes qui cum defuncto eundem domicilii locum agnoſcant, quoque poſt hereditatem diviſam, in foro ſpeciali valide & competenter conventi, ex ejus perſona id quod præſtandum eſt, ſolvere teneantur.


Plura

(bb) l. 19. pr. & l. 34. ff. De judic. & ubi quique agero.



Plura profecto evolvenda forent confectaria, si materia de causis post manum mortuam prolixius discutienda esset: verum, habita temporis & instituti ratione, principaliora attigisse forsitan sufficiet. Quodsi pratermissa quaedam, aut non omnia praxeos limata satis decisa fuerint, veniam dabit benevolus Lector, defectus hominum intervenire rebus humanis, secum reputans. Est aliquid, prodire tenus, si non datur ultra.





Defensori Dissertationis

Politissimo

S. P. D.

P R A E S E S.

Gratulationem meam, publicis quæ Tibi fient, acclamationibus adjungere, haud intempestivum duco, quum partim sedula nec interrupta, qua lectiones meas frequentasti diligentia, partim non fucata, quam in me reposuisti, fiducia, & reliqua affectus Tui documenta, id a me postulare videantur. Laudo imprimis, id quod omnes probi mecum laudabunt, quod consilio meo haud seposito, publice mecum in cathedram conscendere, & thema juridicum ex jure patrio prolatum, quod neminem hucusque subincudem vocasse putamus, speciminis profectuum Tuorum loco defendere non dedignatus sis. Unde etiam non deerunt, qui tanquam justis & æquiflatores, promeritam Tibi laudem tribuent. Quemadmodum vero hactenus ita rem Tuam gessisti, ut omnes boni Tibi applaudant, ita quoque presentibus hisce vota mea subjungo, ex integro mentis affectu ad reliquam vitam Tuam cursum, omnem gratiam divinam ut & prosperitatem Tibi apprecans. Vale mihi que fave. Dab. de VII. Aprilis A. C. MDCLXXI.



Defensor

3

Fragment of a handwritten label on the left edge of the page, containing several lines of text in a cursive script.

ULB Halle
002 713 802

3



56,





21/18

1777,1

SPECIMEN JURIDICUM.
AD CAP. II. TIT. VI. LIB. III. JURIS CVLMENS.
EX VLT. REVIS.


DE CAVSIS
POST
MANVM MORTVAM.
(Von Sachen nach Todter Hand.)

QVOD
PRÆSIDE
DANIEL GRALATH

JVR. VTR. D. EJ. ET HISTOR. PROF. PVBL. ORD.
ET ATHEN. INSPECTORE
CAROLVS LVDOVICVS SCHVLTZ,
GEDANENSIS

ALVMNVS FISCHERO FERBERIANVS,
DIE XVIII. APRILIS A. R. S. MDCCLXXI.
IN AVDITORIO MAXIMO

PVBLICE DEFENDET
ADVERSVS OPPONENTES
CAR. GOTTFRIED PATZER, JVR. STVD.
CHRIST. FRIDERICVM WERNSDORFF, THEOL. STVD.
MART. FRIDERICVM BRAND, JVR. STVD.



GEDANI,
TYPIS THOM. JOHANNIS SCHREIBERI, MAGNIF. SENATVS
ET ATHENÆI TYPOGRAPHI,

